

ARTICULI IURATI

ANDREAE CHRISOSTOMI ZAŁUSKI EPISCOPI VARMIENSIS *

IN NOMINE DOMINI AMEN. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum. Quomodo Anno a Nativitate Domini Millesimo, Sexcentesimo, Nonagesimo Nono, Indictione Romana VII, Pontificatus (Sanctis)imi Domini Nostri Innocentii Divina providentia Pape, eius Nominis XII, feliciter moderni, Anno ipsius octavo, die vero trigesima mensis Junii, coram Perilustribus Reverendissimis Dominis Joanne Georgio Kunigk Cantore, Joanne Jacobo de Leichtenstern Hoffman, Adriano de Linda, Simone Treter, et Dominico Sieninski, Praelatis et Canonici Ecclesiae Cathedralis Varmiensis Capitulariter in loco Capitulari congregatis et Capitulum legitime repraesentantibus, in mei V. Secretarii, testiumque infrascriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et exhibitorum praesentia, Perillustris Reverendissimus Dominus Joannes Georgius Kunigk, Cantor Varmiensis, Plocensis et Pultoviensis Canonicus, tanquam Illustrissimi et Reverendissimi Domini Domini Andreae in Zaluskie Zaluski, Electi et Confirmati Episcopi Varmiensis Plenipotens seu Mandatarius legitimus, de qua plenipotentia et mandato ex instrumento authentico satis constabat, Literas Apostolicas super capienda possessione Cathedralis Ecclesiae, et Episcopatus Varmiensis, Illustrissimae Suae Celistudini concessas, palam exhibituit, ac pro eadem Sua Celsitudine realem et actualem praefatae Ecclesiae, ac totius Episcopatus Varmiensis possessionem Sibi tradi et consignari instantissime petiit. Cuius quidem petitioni Venerabile Capitulum, praefatis literis Apostolicis debita cum reverentia susceptis, perlectis et mature perpensis, omni cunctatione postposita, lubens assensum Suum praebuit, exigendo ab eodem Perilustri Reverendissimo Domino Mandatario super certis articulis infrascriptis, post praemissam fidei professionem, corporale iuramentum, in animam Illustrissimi et Reverendissimi Domini Principalis Sui praestandum. Quod iuramentum praeditus Perillustris Reverendissimus Dominus ut supra Mandatarius, libenter et sponte ad sancta Dei Evangelia flexis genibus praestitit, in hanc a Venerabili Capitulo praescriptam formam, ut sequitur. Pro Illustrissimo et Reverendissimo Domino Domino Andrea in Zaluskie Zaluski Confirmato Episcopo Varmensi, et eius Nomine, ego Joannes Georgius Kunigk Cantor Varmiensis, Procurator ad capessendam possessionem Episcopatus et Ecclesie Varmiensis, in animam Illustrissimi et Reverendissimi Domini Constituentis, vigore plenipotentiae Sufficiens, ad hunc actum a Sua Celsitudine datae, iuro et promitto, Ipsum omnes subsequentes articulos fideliter adimpleturum, et observaturum esse in omnibus et per omnia, pure et simpliciter, realiter et cum effectu, sub poenis periurii et transgressionis fidei, praestitae, quodque huiusmodi iuramentum, per me pro praefato Illustrissimo et

* Transkrypcja oryginalu znajdującego się w Archiwum Diecezji Warmińskiej w Olsztynie wśród dokumentów Kapituły Katedralnej, sygnatura A 4, 23.

Reverendissimo Domino Confirmato Episcopo Principali meo praestitum, cum Ipse ad Ecclesiam Varmensem feliciter accesserit, personaliter et proprio iuramento, cum manus propriae subscriptione ratificabit et confirmabit. Ita me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Articulus primus.

Quod bona immobilia et possessiones Ecclesiae nemini donabit, vendet, impignorabit, aut in arendam, vel hypothecam concedet, nisi in evidentem dictae Ecclesiae utilitatem, servatis solemnitatibus de iure requisitis, et cum expresso consensu Capituli, quin potius illicite donata, vendita, impignorata, in hypothecam concessa, seu quovis modo alienata, pro viribus vindicabit et recuperabit. Quodsi quando mensae Episcopalis vel Ecclesiae urgens necessitas et eiusdem utilitas requireret, ut nonnihil talium bonorum et rerum de consensu Capituli donetur, seu quovis dicto modo alienetur, quo iis casibus desuper conscribi et obsignari non faciet, nisi prius communicato, et a Venerabili Capitulo approbato eiusmodi literarum exemplo.

Articulus secundus.

Item quod mobilia pretiosa, et clenodia, nec non suppellecilem quamcunque, munitiones, et equos, pecudes, frumenta, et alias res, tam in aerario, et sacrario Castri Heilsbergensis, quam alibi, in eodem et aliis Castris, et praediis Episcopatus existentes, quae illi sub Inventario tradentur et praesentabuntur, omni diligentia integre servabit, atque etiam augebit.

Articulus tertius.

Item quod omnia et singula statuta et consuetudines Ecclesiae Varmiensis, tam antiquas, quam de novo introductas, usuque receptas et approbatas conservabit, nec illis contraveniet ullo modo, nisi rationabili causa urgente, et tunc de consensu maioris partis Capituli, nec non omnia, et singula iura, libertates et privilegia Ecclesiae et Capituli Varmiensis manutenbit et defendet.

Articulus quartus.

Item quod limites et granicias bonorum, et possessionem Ecclesiae omni studio et cura defendet et propugnabit.

Articulus quintus.

Item quod sincera et ordinata praelatione erga Fratres Suos Canonicos Varmienses se geret et paternam benevolentiam servabit, salvo ordinariae iurisdictionis exercitio et correctione Canonica, praemissis monitionibus, processu et defensione legitima non negata, et aliis servatis de iure servandis, secundum praescriptum, cum aliorum Sacrorum Canonum, tum Concilii Tridentini. Si tamen in casu puniendorum excessuum et criminum, vel enormitas facti vel periculum, aut evidens necessitas postulet, ut intermisso ordinario processu, durius aliquid in Praelatum vel Canonicum statuatur, a captivitate aut detentione rerum seu corporum, vel alias ab excommunicatione non incipiet, nec ad decisionem causae procedet, nisi de consilio et assensu Capituli.

Articulus sextus.

Item quod electionibus Praelatorum et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis aliquisque negotiis Episcopali et Capitulari discussione coniunctim decidendis, servabit hactenus observatam consuetudinem, ut habeat primam et unicam vocem, nec aliquem coget, quo minus possit ac debeat votum suum libere et secundum rectum iudicium suum pronuntiare.

Articulus septimus.

Item quod nulli personae vel communitati vel bellum movebit, neque ligas seu pacta aut conspirationes, communem Ecclesiae et patriae statum concernentes, cum aliquo faciet, sine consilio et consensu Capituli.

Articulus octavus.

Item quod subditis Episcopatus Varmiensis nullas datias, contributiones, subidia vel exactiones imponet, neque ab aliquo alio impositis vel postulatis consentiet, nisi pro evidenti Ecclesiae et Subditorum utilitate et tunc de expresso consilio et assensu Capituli. Et generaliter quaecunque alia negotia, ad quae de iure requiritur Capituli consensus, illo non requisito et obtento nequaquam prosequetur et determinabit.

Articulus nonus.

Item quod Oeconomum, Cancellarium, Advocatum et Burgrabios Arcium, non nisi Catholicos et veros terrarum Prussiae indigenas, e ditione Regiae Maiestatis vel Ecclesiae huius, dummodo ii sint subditi Ecclesiae iurati et catholici, constituet, cosque Sibi et Ecclesiae Varmensi fidelitatis iuramentum praestare faciet, in praesentia Venerabilis Capituli Nuntiorum, ad hoc deputatorum cum expressa conditione, quod id iuramentum casu vacationis Ecclesiae in Capitulum extendatur et continuetur. Oeconomus etiam iurare debebit, quod redditus et proventus Ecclesiae nemini revelabit. Capitaneum autem generalem sine Capituli expresso consensu nullum omnino deputabit et assumet.

Articulus decimus.

Item quod iuxta antiquam observantiam in expensas fabricae, quas in Cathedrali Ecclesia, vel eius munitione et conservatione necessario fieri continget, duas partes de tribus de proventibus mensae Episcopalis contribuet. Similiter etiam, quod Custodiae Cathedralis Ecclesiae in supplementum eorum, quae forte illi deesse, post habitas rationes accepti et expensi reperientur ad procreationem vini, luminarium et sacrarum vestium pro Divini cultus sustentatione, quotannis duas partes de tribus conferet, ita quidem, ut sine scientia et assensu ipsius nihil eorum comparetur, ad quae contribuere debebit.

Articulus undecimus.

Item quod arces et castra Episcopatus Varmiensis ac palatium episcopale apud Ecclesiam Cathedralem, una cum attinentiis earum sarta, tectaque praestabit et in necessariis ac competentibus aedificiis integre conservabit.

Articulus duodecimus.

Item quod iuxta similitudinem singulis annis, circa festum Nativitatis Christi, Praedicatori in Ecclesia Varmensi pro tempore existenti, quinquaginta bonae monetae marcas in augmentum solarii ipsius, per Oeconomum suum dare et enumerare faciet. Omnes etiam expensas et alia quaecumque onera pro tempore existenti Episcopo et mensae Episcopali incumbentia supportabit et singulis annis aut quan- docunque opus fuerit cum effectu persolvet.

Articulus decimus tertius.

Item quod quoties illum extra limites Prussiae iter facere continget, unum de gremio Capituli, cum eiusdem assensu Administratorem Episcopatus et bonorum eius in arcem Heilsbergk deputabit.

Articulus decimus quartus.

Item quod Ecclesiam et Episcopatum non resignabit, neque aliquem Coadiutorem sibi successurum sine consensu sanioris partis Capituli et nisi vocatis de iure vocandis nominabit, seu directe seu indirecte sub quovis praetextu, consilio vel colore procurabit.

Quibus rite peractis Perillustris Reverendissimus Dominus Saepenominatus Plenipotens per Perillustres Reverendissimos Dominos Joannem Jacobum de Leichtenstern Hoffman et Adrianum de Linda Canonicos capituloiter ad hunc actum deputatos, ac pluvialibus induitos ad chororum Ecclesiae, comitantibus omnibus Perillustribus Reverendissimis Dominis Canoniciis in superpelliceis et alamutiis, ad maius altare primum, tum deinde ad sedem Episcopalem deductus et in eadem installatus, ac in omnium annexorum iurium, iurisdictionis, praerogativarum eminentiarumque quarumcunque ad id spectantium inductus et immissus est, loco eidem in consessu Capitulari concesso et assignato. Quod ipsum claro et nervoso sermone Reverendissimus Dominus Hoffman ad notitiam totius cleri ac populi in Ecclesia praesentis deduxit et Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Dominum Andream Chrysostomum in Załuskie Załuski pro Episcopo Varmiensi denunciavit et publicavit; Protestatione interea a recens installato Perillustri Reverendissimo Domino Plenipotente de pacifica sedis Episcopalis omniumque illi annexorum iurium, iurisdictionis, praerogativarum eminentiarumque quarumvis nomine Illustrissimi et Reverendissimi Domini Principali sui, tam in Ecclesia quam in consessu Capitulari, iteratis vicibus interposita.

Acta sunt haec Frauenburgi, in loco Capitulari et Ecclesia Cathedrali Varmiensi, Anno, Indictione, Pontificatu, Mense, Die, quibus supra; praesentibus Admodum Reverendis Simone Neiman Diacono, et Christophoro Schultz Subdiacono Ecclesiae Cathedralis Vicariis, tanquam testibus ad id specialiter vocatis et adhibitis ac me infrascripto Venerabilis Capituli V. Secretario et Vicario Ecclesiae Cathedralis, tum et aliis Admodum Reverendis eiusdem Ecclesiae Vicariis, Clericis, Ministris, Choralibus, nec non Spectabilibus ac Famatis Civitatis Frauenburgensis, Viris Consularibus ac Civibus ad hunc actum in Ecclesia ibidem congregatis. Ita esse testor eaque omnia sic fieri vidi et audivi, prout acta esse enarrantur.

In fidem me subscribo.

Joannes Georgius Marquardt

Vicarius Ecclesiae Cathedralis et Venerabilis

Capituli Varmiensis V. Secretarius m[anu] p[propria]

Następuje podpis pełnomocnika:

,Ego infrascriptus Illustrissimi et Reverendissimi Domini Domini Postulati et a Sancta Sede Apostolica ad postulationem V. Capituli confirmati Episcopi plenipotens iuravi et promisi Illustrissimam Suam Celsitudinem omnia et singula praemissa fideliter observaturam et adimpleturam, ac corporali iuramento cum manus suae propriae subscriptione personaliter ratificaturam et confirmaturam sub poena periurii. In quorum fidem manu propria haec subscribo et sigillo meo communio. Datum Frauenburgi ad Ecclesiam Cathedralem Varmensem die trigesima mensis Junii anno 1699-mo.

Joannes Georgius Kunigk Cantor Capituli

Varmiensis mp

(pieczęć pełnomocnika)

Przysięga biskupa Załuskiego:

,Ego Andreas Chrysostomus Załuski Episcopus Varmiensis et Sambiensis iuro et promitto articulos supra positos me fideliter observaturum in omnibus et per omnia pure, simpliciter et cum effectu, sub poenis periurii et transgressionis fidei, per meum mandatarium praestitae. Ita me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. Datum ad Ecclesiam Cathedralem Varmensem in loco capitulari die decima sexta mensis Septembris, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo nono.

Andreas episcopus mp

(pieczęć biskupa)